


Exemplum geniturae propositae.



Conclusio prima. Multas nato diuitias promittunt luminare temporis in exaltatione sua in angulo, Saturnus Almuten secundae in angulo fortis, in domo sua aspiciens partem fortunæ ex trino in termino fortunæ.

Conclusio secunda. Diuitiæ suæ in prima tertia uitæ, auctiores erunt quam in alijs duabus. Nam Saturnus orientalis est, & tres domini triplicitatis secundæ domus, hanc habent habitudinem.

Conclusio tertia. Plurimum tamen disperget, atq; acquisita comminuet, quoniam Venus domina secundæ domus, & domina partis fortunæ, retrogra & infaustra est.

Conclusio quarta. Substantia & lucrum eius erit ratione parentum, seu maiorum suorum, atq; in rebus occultis, secretis, & uetustis, reliquisq; significatis quartæ domus, id confirmatur ex Saturno in domo quarta, & Ioue domino quartæ in ascendente.

Conclusio quinta. Item ratione mulierum & inimicorum manifestorum & bellorum, atq; domini sui & regni, habebit opes & principatus, id colligur à Sole domino triplicitatis sui loci in septima, ubi etiam domino medijs cœli applicat, & à Ioue domino septimæ in ascendente.

Conclusio sexta. Iuste & licite fiet earum acquisitio, animoq; meditato, & cum aliqua etiam astutia. Nam Saturnus & luminare temporis fortes, & bene dispositi reperiuntur.

Conclusio septima. Damnum aliquod sentiet in rebus quæ per hereditatem ad eum deuenient, minatur hoc quadratus Saturni ad Solem.

Conclusio octaua. Damnum in diuitijs sentiet, nam Almuten secundæ domus in quarta in suo domicilio aspiciens partem fortunæ trino, in termino Veneris significat quidem diuitias multas, Sed eo quòd Venus domina secundæ domus

S

etiam